



fit, ac uictor extitit.

**A**lbertus ex illustri familia Heinrici Leonis Saxoniae ducis prognatus fuit. Hic cum fratre Ioanne paternam hereditatem diuidens, Brunsvicensem ducatum retinuit, atque fratri Luneburgum administrandum concessit. Erat Albertus magna corporis & animi fortitudine insignis. Itaque aduersarios suos nobiles ab Aschenburg, comitem ab Eberstein, & Moguntinum praesulem compefcuit, & partim sustulit, partim in captiuitatem redigit. Hinc ciues Embecenses commoti sese sua sponte optimo huic principi subiecere, cum prius comitem a Dassel dominum agnouissent. Postea quoque cum Episcopo Hildesheimensi bella ges-